

II n  
625



Q.K. 374, 12.

449

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC  
DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO AC ELECT. SAXON. HEREDE,  
DE  
CLODOVEO M. PRIMO  
INTER FRANCOS REGE  
CHRISTIANO,  
LOCVM,  
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
BENEVOLE SIBI CONCESSVM,  
VINDICATVRVS,  
DISSERERE INSTITVIT,  
M. PETRVS IAENICHIVS,  
FVRSTENBERGENSIS LVSATVS,  
COMMILITONE  
IOANNE ADAMO CALO,  
BELGERANO MISNICO,  
AD D. VIII. MAII ANNO MDCCLIII.  
IN AVDITORIO MAIORI.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS JOANNIS GOTHOFREDI MEYERI.



LECTOR MAGNORUM PRINCIPUM

SEPTENTRIONALIS PRINCIPIS AD

DOMINUM

DM. FREDERICUS AUGUSTUS

PRINCIPIS REGIS AC ELECTORIS SAXONIAE

DE

GLORIOSO R. M. PRINCE

INTER FRANCOS REGES

CHRISTIANO

A. C. M.

AD APOSTOLICE SEDIS LEGATIONE

SEMPER PRINCIPIS AC ELECTORIS

SEMPER PRINCIPIS

DISCRETI IN SENATU

M. PETRUS FABRICIUS

SEMPER PRINCIPIS AC ELECTORIS

SEMPER PRINCIPIS

IOHANNES ADAMO CALO

SEMPER PRINCIPIS AC ELECTORIS

SEMPER PRINCIPIS AC ELECTORIS

In A. S. Pr. Major

SEMPER PRINCIPIS

SEMPER PRINCIPIS AC ELECTORIS



§. I.



Lodoveus M. <sup>a</sup> Childe-  
rici filius, primus inter  
Francorum <sup>b</sup> primae stir-  
pis Reges fuit, qui reie-  
cta hostium Christianae  
veritatis superstitione, coelestem sa-  
lutaremque doctrinam amplexus est  
ac propagavit, & Galliae omnis im-  
perium, a maioribus quodammodo  
inchoatum, amplificavit insigniter,  
fractisque in Gallia Romanorum vi-  
ribus, magis magisque confirmavit.

<sup>a</sup> Ab aequalibus sui temporis Chlothovechus est vo-  
catus, at lenius paullo Chlodovecus, ex quo rursus,  
emollita vocis asperitate Chlodovecus, Clodoveus &  
Hludovicus dici coeptus est. Hinc maro est Chlodovvi-  
cus & Ludovicus, Cassiodoro Luiduin, conf. Carolus  
Cointius *Annal. Eccles. Franc. ad A. CCCCLXXXI.*

A 2

b Dif-

Diffimiliter hic tradunt Scriptores in explicando & nomine & origine Francicae gentis. Non, illis asfentiendum esse, putem, qui ab Troianae urbis excidio eius originem repetunt, quam opinionem infedisse, legimus, Ioanni Parisiensi & Fredegario Scholaftico, Epitomaftae Gregorii Turonensis, apud Du Chesneum in *Scriptor. Franc. Tom. I. p. 130.* Rigordo quoque de *gestis Philipp. Augusti*, in P. Pithoei *Script. Hist. Franc. p. 173.* nec minus etiam Io. Annio Viterbiensi in infelici suo foetu, quem pro vero germanoqve Manethonis, cuius meminit Eusebius in *Chronico*, venditare laboravit, quam tamen fraudem subodorati sunt statim eruditi, id quod multis copiosisqve verbis ex Latino Latinio declaravit Hispanorum ille eruditissimus Antistes, Antonius Augustinus, *Dialog. XI.* apud Stillingfleet *Origin. Sacr. Lib. I, p. 7. c. 2.* Errori huic occasione inde datam esse, non incongrue conicit Cointius, in *Annal. ad A. CCCCXVII*, quod Pharamundus in gestis rebus Francorum, apud Roriconem, Fredegarium & in vita Sigeberti Tertii vocetur Marchomiris filius, Priami nepos. Qui vero Priamus non Rex fuit Troianorum, sed dubio procul is, de quo mentionem fecit Prosper in *Chronico*, ad Annum a Valentis Augusti morte quartum, qui post natum Christum trecentesimus, secundus & octogesimus fuit, ubi sic scribit Prosper, *Priamus quidam regnat in Francia, quantum alius colligere potuimus.* Gregorium Turonensem sequitur Adrianus Iourdanus in *Historia Domus Regiae Francicae*, qui minus recte a palude Maeoti Francos in Germaniam, ex eaque in Galliam migrasse, tradunt. Mirati sunt multi haud le-  
vem

vem eorum lapsum, qui Ciceronis aetate Franco-  
rum nomen fuisse notum, putant, *Epistola specia-*  
*tum decima lib. XIV. ad Atticum* in hanc sententiam in-  
ducti. At vero dudum observarunt interpretes, non  
Francones, sed Frangones, esse legendum, quae  
vox quendam ex militibus mercenariis notabat, in  
ordinem Senatorium a Caesare receptum, de quo  
Dio Cassius *Lib. XLVIII. Cluverius in German. Antiq.*  
*Lib. II. 21.* Neque Vangiones ex mente Beati Rhe-  
nani legendum esse, idem Cluverius recte existi-  
massè videtur. A libertate autem genti nomen ac-  
cessisse, ut credam Hotomanno in Franco-Gallia,  
rationes me non leves movent, inprimis, quod &  
ipsi assentiantur viri auctoritate & iudicio graves. Ne-  
que vox Germanis fuit ignota, quod falso putavit  
Ioannes Bodinus, sed maxime usitata, eumque de-  
notavit, qui, a servili onere exemptus omnium re-  
rum immunitate gaudet. Innotuit etiam iam tum  
Francorum nomen seculo III post natum Christum,  
eorumque saepius fit mentio apud Romanos Scri-  
ptores, speciatim apud Aurelium Victorem *in Gal-*  
*liano*, & ante eum consimile quid in vita eiusdem  
Imperatoris habet Trebellius Pollio, *c. 7.* Refert Fla-  
vius Vopiscus, quarti seculi scriptor, *in Aureliano, ca-*  
*pite septimo*, cantilenam triumphantis exercitus,  
*mille Francos mille Sarmatas, semel & semel occidi-*  
*mus. Mille, mille, mille, mille mille Persas quaerimus.*  
Incaute idem Scriptor *capite tricesimo quarto in Au-*  
*reliano*, Francos a Germanis distingvit, id quod so-  
lenne multis inter Scriptores, Martiali *Lib. VII. E-*  
*pigram. 29.* quod est in Caeliam, Claudiano de quarto

consulatu Honorii, & Aufonio *in Carmine de Mosella.*

*Accedant vires, quas Francia, quasque Camaves,  
Germanique tremant.*

Neque tamen inde Bodino, homini Franco-Gallo, subnascitur dubitandi argumentum, Germanos a Gallis esse ortos, *in sua Historiae methodo* existimanti, Germaniamque non novos incolas Galliae dedisse, sed restituisse veteres, id ipsum, quandoquidem contra omnem est historiarum fidem, non vanitatem sed imprudentiam esse, recte iudicasse videtur celeberrimus in Academia Viadrina ICrus, Henricus Cocceius *in Jur. Publ. Prolegom. §. 20.* multisque probavit, Francos non Gallis, sed antiquis & veris Germaniae incolis, esse accensendos. Quinimo temeritatem Bodini ipsi prudentes rident Galli, quod supra laudatus Cocceius ex P. Aemilio, & Massonii, Regii Historici, Annalium Lib. I. satis demonstravit, his usus verbis: *Trans Rhenum Francia est, Claudiani, Aufonii, Hieronymi, Sidonii, atque aliorum testimonio. Franci inde profecti, ut Procopius, Agathias, aliique gravissimi scriptores produnt, nobilissimum Galliae regnum condiderunt.* Omnes Bodini dubitationes diluit copiose satis Philippus Cluverius *in Germania Antiq. Lib. I, c. 3, & Lib. III, 20.* addatur Ifacius Pontanus *in Origin. Francorum Lib. II, c. 3.* & Monumenta Paterbornens. p. 81. Hermanni, Comitum Nuenarii *narratio, de origine & sedibus Francorum priscorum*, Philippi item Cluverii *Disquisitio de Francis*, apud Du Chesne, *Tom. I.* Traxit in societatem erroris Bodinus alios Historiae Francicae scriptores, speciatim Audigierum, *Tr. de l'Origine des François & de leur Empire*, & Aegidium Lacarry, *in*  
*Histo-*



*Historia Coloniarum a Gallis in exteras oras missarum.*  
At facile refelluntur ex ipsa rerum factarum serie,  
monumentisque fide dignis. Confer. Adriani Junii  
*Batavia*, & Kulpif. in Monzamban. ac demum Poly-  
histor noster, & fama & scriptis celeberrimus, Conr.  
Samuel Schurzfleischius in *praelect. MSSis ad Pu-  
fendorf. & Disp. V. & X.* Complectebatur autem no-  
men Francorum diversos Germaniae populos, maxi-  
me Rheno finitimos, Bructeros, Camavos, Ansva-  
rios, Chaucos, Cattos, Salios, Sicambros aliosque  
vid. Gregor. Turonens. *Lib. I, c. 9.* & Claudianus in  
*primo de laudibus Stiliconis*, Cluver. *German. Antiq.*  
*Lib. III, c. 20.* Nicolaus Vignerius *de Statu & Origine*  
*Francorum Veterum*, cuius tractatum e Gallico ser-  
mone latinum confectum invenimus apud Du Ches-  
ne *Tom. I.* Qui omnes populi una collecti, abrogata  
Regulorum, quos inter se habebant, potestate, uni-  
us Regis se suaque imperio submiserunt. Ioannes  
Nauclerus in *Chronograph. Generatione quarta deci-  
ma* sub finem. Cl. Kirchmaierus in *Not. ad Taciti*  
*Germaniam.* Non hic disputabo, fuerintne Princi-  
pes Francorum ante Clodoveum Reges etiam Gal-  
liae, nec ne? Dubitat Gabriel Daniel recentissimus  
Historiae Francicae Scriptor in *peculiari dissertatione*  
*de Fundatoribus Monarchiae Francorum in Gallis*, quae  
extat Gallico sermone exscripta Parisiis 1697. Exi-  
stimat idem, de quo iam dixi, vulgariter magis,  
quam accurate, pro Fundatoribus & Regibus in Gal-  
lia haberi Pharamundum, Clodium Capillatum, Me-  
roveum & Childericum, neminemque ante Clodo-  
veum fuisse, qui constituta inter victos imperandi  
sede, manere ibi sit ausus, aut victos in perpetuo  
Conti-

continuerit obsequio & fide. Grave omnino videtur esse, tot adversantium auctoritati repugnare velle & refragari, praesertim cum in eo antiqui consentiant omnes, qui de Historia Francorum quicquam sunt commentati, nominatim Prosper Aquitanus, Procopius, Gregorius Turonensis & Fredegarius, temporibus illis proximi Scriptores, Pharamundum, superato flumine Rheno, debilitatisque finitimis, in Gallos imperum fecisse, fundamentumque magnae illius, quae tum sub Clodoveo M. subsecuta est, Monarchiae feliciter iecisse, iterum iterumque in praelio profigatis Gallis, & ita imperium, quod postea in eos obtinuit, filio suo Clodio reliquisse. Quod me sane mover, ut credam, summo multos in Gallos imperio usum fuisse Pharamundum, ad quod per Meroveum deinde magna accessio facta est, contrantibus frustra Gallis atque Romanis, quorum fortunam in Gallia prorsum subvertit Clodoveus M. Sequuntur priorum sententiam medii aevi & recentioris Scriptores plerique, in illis, Paullus Diaconus, Aimoinus, Sigebertus, in his Hotomannus, Ioannes Nauclerus, Hector Boethius in *Historia Scotorum*, Adrianus Valesius, Carolus Cointius aliique complures. De anno recte constituendo occupati in Gallis a Pharamundo dominatus discrepant Chronologi, neque in tantorum dissensu virorum meum interponere iudicium ausim, consentiunt Vbbo Emmius & Peravius, factumque illud esse anno post natum Servatorem supra quadringentesimum vigesimo, ille in *Choronologia*, hic *Libro II. de Doctrina Temporum*. Minus recte calculum posuisse, arbitror, Funccium in *Choronologia*, qui annum vicesimum primum ponit.

b Chil-

§. II. Natus hic est Clodoveus anno post natum Christum supra quadringentesimum, sexagesimo sexto, Leone Augusto tertium consule, ut affirmat Cassiodorus, Marcellinus & Victor in fastis. In Occidente tum temporis nullus erat Imperator per unum annum & aliquot menses, postquam Severus veneno erat sublatuS, uti commemoravit Cuspinianus & Petavius ex Anonymo, in Rationario Temporis. Non hic praetereundum est, quod auctor Chronici ab Onuphrio Panvinio editi, collegam Leoni in consulatu adiungat Fabium Titianum, Marius vocat Tassianum. vid. *Spondanus* ad annum MCCC LXVI, & *Cointius*.

<sup>a</sup> Mirari subit, cum legimus, quod anno uno post Clodoveum natum Idarius accidisse observat Tolosae, urbe Volcarum Tectosagorum principe, medio civitatis e terra sanguinem prorupisse, totoque diei fluxisse spatio. Idatio pondus testimonio suo affert Aimoinus

B

*Lib.*

*Lib. I, c. 9*, adiicitque, prudentes quosque existimasse, interitum Gothorum, dominatumque portendi Francorum. Atque ita praeludium non fallax fuit, principatus illius, quem brevi post in Gallos universos obtinuit Clodoveus.

¶ Childericus erat filius Merovei illius, quem vulgo Scriptores primae stirpis Francicae caput esse, nec fortasse falso, dicunt, quae postea, A. DCCLI, uti calculum ponunt Chronologi, in Childerico extinguita est, Pipino principatum in Francos occupante. Fueritne Meroveus nepos Pharamundi & Clodionis, aut, si mavis, Clodii Capillati, filius, an nothus Clodii, an vero affinis, ipse ego, cum certi & explorati apud Scriptores nihil inveniatur, neque ex dubitatione, neque ex affirmatione, temeritatis notam incurere velim. Qui, filium Clodii fuisse, arbitrantur, ut *Fauchet in Antiquitat. Franc. L. II, c. II*, *Marthe Histor. Genealog. de la maison de France L. II, 3*, *Centuriatores Magdeburg. Centur. V, c. XVI*. & *Funcius in Chronologia*, illi Sigeberti Gemblacensis se auctoritate tuentur. *Conradus de Lichtenadv*, *Abbas Urspergensis*, filium fuisse, tradit, sed nothum. Confer. *Gesta Francor. Epitom. c. 8*. Subdubitat Gregorius Turonensis, dicens, *de Clodionis stirpe quidam Meroveum Regem fuisse asserunt*. *Priscus Rector Histor. Byzant.* duorum Clodii filiorum meminit, de successione in paterno imperio ambigentium, quorum natu maximum ab Attila, alterum a Romanis, auxilium petiisse, tradit, ex quo Gabriel Daniel colligit, Meroveum, tanquam lupum in fabula, litigandi materiem utrique praecidisse, ipsumque adeo imperii fasces capeffivisse, *Dissertation 1. sur l' Histo.*

*Historie de France.* Propinquum vocat Clodii Pufendorfsus in *Introduct. ad Historiam*, Buffierium & Adrianum Iournandum hac in re maxime secutus.

§. III. Childericus A. cccc l xxxi  
a moriens, filio Clodoveo, annos tantum quindecim nato, regnum reliquit, quod puer moderandum feliciter magnoque animo suscepit, postquam patrem solenni regiaque pompa, ac, prout tum erant tempora, Ethnico ritu, extulerat Tornaci, urbe, quam medius dividit fluvius, Scaldis. Vid. *Vendelinus, Libro de Lege Salica, Ioannes Iacobus Chifletius, b Marchantius in Flandria, Carolus Cointius, alii- que complures.*

a In tanto Scriptorum silentio, de loco & causa mortis Childerici quicquam certi sine omni dubitatione affirmari nequit. Tantum de eo habet Gregorius Turonensis Lib. II, c. 29, *Odoacer cum Childerico foedus iniit, Alamannosque, qui Italiam pervaserant, subin- garunt, & paullo post, His ita gestis, mortuo Childerico etc.*

¶ In tractatu, qui titulum prae se fert de *Anastasi Childerici*. Elicuit hoc Chifletii opus monumentum Childerici, inter fodiendam terram, Tornaci, A. c. 15 c. LIII, Mai. die XVII, erutum. Id quod tanto maius documentum dare potest, tum in historia Francorum, tum in aliis rebus ad antiquitatem spectantibus, quanto largioribus ornamentis condecoratum erat. Res autem illo in monumento re-pertae, Leopoldo Austriae Archiduci dono datae sunt, ab hoc accepit eas Ioannes Philippus, Moguntinus Praeful, quas consilio & monitu Boineburgii Ludovico XIV, Regi Galliae, muneri misit, Parisiis-que adhuc monstrant. In compendio, quae fufus Chifletius tractavit, videri possunt, apud Carolum Cointium l. c.

§. IV. Inter primordia deinde regni animū ad fines amplificandos adiecit, a terrasque a parente relictas, valido exercitu conscripto, egredi, potissimum vero eos, qui dignitati & gloriae videbantur insidiari, armis, statuit, submovendos. Syagrium, potentem tum inter Sveffones principem Romanum, praelio pulsum devicit, brevique post tempore, Syagrio fati-  
fun-

functo, omnis illa pars, quae Romanis paruerat, imperio Francorum se submisit. Eandem experti sunt belli fortunam Thoringi, *b* quos, tota regione vastata, vectigales fecit Clodoveus.

*a* Anno regni sui quinto, a nato autem Christofexto & octogesimo supra quadringentesimum, vid. Gregor. Turon. *Lib. II, c. 27.* Vocat is Syagrium Regem Romanum, Fredegarius Patricium. Gregorium Gabriel Daniel in notis ad Historiam Franciae liberare conatur ab eo errore, cuius poterat insimulari. Post exactum enim Tarquinium Superbum, inter Romanos Reges ultimum, non tantum nullos habuit Reges Roma, sed ipsum quoque Regis nomen plane genti Romanae invisum fuit.

*b* De his Gregor. Turon. *Lib. II, 27,* & Gesta Regum Francorum, c. 10, consuli possunt, Scriptoresque alii recentiores, quamvis id fatendum, praeter ea, quae locis modo commemoratis reperimus, ampliora vix ad nostram pervenisse aetatem. Thongri, seu, uti ab aliis vocantur, Tungri, ultra Mosam fluvium habitarunt, quorum princeps civitas erat Atvatica, ad Mosam fluvium sita, quae olim erat castellum Eburonum. Quinque illos esse populos, qui Caesaris aetate Treviri, Nervii, Atvatici, Menapii & Batavi appellabantur, existimat Cluverius, *Lib. II, 20, Antiq. German.* Disputat praeterea ibidem

multa ex variis editionibus super intricatum Taciti locum, qui in eius Germania de Tongris habetur. Meminit Tungrorum Plinius Maior, *Histor. Lib. IV, 17, iterum Lib. XXXI, 11, Tungri*, inquit, *Civitas Galliae, fontem habet insignem, plurimis bullis stillantem, feruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur, purgat corpora etc. etc.* Vbi sane, iudicio Cluverii, observandum est, per civitatem non oppidum, sed integram indicari Tungrorum nationem. Refert Flavius Vopiscus, Diocletianum apud Tungrorum fuisse versatum, *in Numeriano, pag. 671, ed. Oebrecht. Ammian. Marcellin. Lib. XVII.* Peculiari scripto, *de Eburonibus & Tongris*, notus est *Hubertus Thomas Leodius*. Copiose de loco Gregorii Turonensis, qui reperitur Lib. II, c. 6, differit *Gabriel Daniel, in Dissertatione*, de qua diximus paullo ante. Verba Gregorii haec sunt, *Tradunt multi, Pannonia fuisse digressos Francos, & primum quidem littora Rheni annis incoluisse, dehinc transacto Rheni Thoringiam transiisse, ibique iuxta pagos vel civitates Reges crinitos super se creavisse, de prima, &, ut ita dicam, nobiliore suorum familia.* Duplicem inventionem in Gregorii MSto Codice, Thoringiae & Thongriae, observavit *Morellius*. Corrigit lectionem *Valesius*, locoque vocabuli *Rheni* substituit, *Moeno*, ut ita Thuringiam, terram Transrhenanam subintellexisse videatur, dubitatione de Tongria Cisrhenana sine dubio permotus, id quod sententiae Gregorii aliorumque Scriptorum adversari haud parum, liquido satis apparet. Gregorius interpretandus est ex collatis argumentorum ponderibus, quae apud alios inveniuntur, quando nimis laxè scribit, *Clodoveum suae ditioni subiecisse Tongros*. Constat enim serius paullo illud evenisse quoad unam partem, alteram vero Saxonibus



nibus praedae loco cessisse, Conf. *Lemmata Hist. Franc.*  
Celeherr. Schurzfl.

§. V. Belli curis turbarumque sedan-  
darum molestia vacuus Clodoveus,  
de uxore ducenda cogitare coepit,  
nuptiasque ambivit Chrotildis, *a* fe-  
minae Christianorum sacris addictae  
vereqve, si ulciscendi cupiditatem  
excipias, pia. Voti tandem factus  
compos, diu repugnante Gundebal-  
do, *b* Burgundionum Rege, Chrotil-  
dis patruo, Augustae Sveffonum nu-  
ptiae sunt celebratae, magna populi  
laetitia, Christiana sigillatim gen-  
te verae incrementa religionis o-  
minante, cuius amplectendae Clodo-  
veus non obscuram spem incitaverat  
& expectationem. *c* Qua de re legi-  
merentur *Gesta Regum Francorum*  
*cap. XI*, & saepius commemorati Scri-  
ptores, *Gregorius Turonensis*, *d* *Fre-*  
*degarius* & *Aimoinus e*, ac novissime  
Baro-

*Baronius & Cointius ad A. ccccxcii  
& ccccxciii.*

- a* Summatim Cointius, quae de Chrotildis, seu, iuxta alios, Clotildis, profapia vitaeque instituto, & aliis, merebantur annotari, ex Libro de rebus gestis Francorum, Fredegario, Aimoino recensuit ad Annum CCCC XCII, cuius verba haec sunt, Edu-  
cabatur in Burgundia Chrotildis apud Patrum Regem Gundobadum, qui fratrem suum Chilpericum, Chrotildis patrem, gladio sustulerat; uxorem Chilperici, Chrotildis matrem, alligato ad collum saxo aquis suffocarat; duos Chilperici filios, Chrotildis fratres, capite truncatos in puteum proiecerat; Chilperici filiam seniore, Chrotildis sororem, quam Macurunam, Chronam & Sedeleubam nominant, exilio damnarat; verendum erat, ne Chrotildi quoque mortem inferret, si sciret eius nuptias a tanto Rege flagranter ambiri.
- b* Iram vix dissimulare poterat Gundebaldus, (Cointio Gundobadus vocatur,) cum Aurelianus, vir callidus, & ad hoc negotium longe aptissimus, Clodovei nomine rediret, de nuptiis cum Chrotilde pacificendis. Mox explorandae causa regionis Aurelianum venisse, cogitabat, mox in mentem revocabat, ob denegatam Clodoveo Chrotildem, magnum sibi & regno periculum impendere. Tandem iram compefcuit, & Burgundionum principibus eum adhortantibus, dimisit Chrotildem, foedusque cum Clodoveo & societatem inivit. *Gesta Francorum Lib. XII, 13.*
- c* Erant eo tempore multi in Gallia Christiani, longe enim citius Evangelii lumen in Galliae oris, quam Germaniae, explenduit, quod ex historiae Sacrae Scripturis

ribus-fatis constat. Calamitas autem belli, quae per-  
petianda erat Syagrio, non minus quoque Christianos  
his in locis corripiebat, prouti conditio belli est, quae  
innocuos etiam affligere consuevit. Eliciebantur enim  
Tornaco & alibi a Cenforino, quodam Tribuno,  
id quod annotavit *Gabriel Daniel, in Dissertatione, supra  
commemorata, ex Bollandi Tomo III, mense Februar.* in vi-  
ta sancti Eleutherii Episcopi Tornacensis. *Eo tem-  
pore, inquit Gregorius Turonensis, multae Ecclesiae a Clodo-  
vei exercitu depraedatae sunt, quia erat adhuc ille fanaticis  
erroribus involutus, Lib. II, 27.* eadem fere verba legun-  
tur apud Hincmarum Rhemensem, *in vita S. Remigii,  
capite XXX.* Sed erat Clodoveus miti lenique Rex ani-  
mo, & multa pacis tempore Christianis indulgit, quod  
maxime inter initia societatis cum Chrotilde in itae  
coniugalis, apparebat, ipsa enim, ut ad sacra Christia-  
norum eum perduceret, nunquam desistebat, nullis-  
que altera velut Estera, precibus, monitis, blandimen-  
tis parcebat, quo Christianis otium conciliaret ac tran-  
quillitatem. Neque Clodoveus solum libenter Remi-  
gium auscultavit, reverenterque habuit, quod ex Gre-  
gorio liquet, sed filios ex Chrotilde natos, fonte sacro  
ablui, permisit, quorum alteri Ingomeris nomen, al-  
teri Chlodomeris inditum est. Etsi vero repentina  
mors Ingomeris non nihil ipsi bilem movebat, rexque  
Chrotildi videbatur subirasci, iram Deorum, ab se ne-  
glectorum, praetendens, ad se tamen rediit iterum,  
animoque acquievit. Certe, illud praeclarum divinae  
Providentiae specimen omnino hic est, observandum  
de quo Gregorius audiri potest, ira verba faciens: *Ge-  
nuit Chrotildis alium filium, quem baptizatum, Chlodome-  
rum, vocavit, & hic cum aegrotare coepisset, dicebat Rex,*

C

708

*non potest aliud, nisi & de hoc, sicut & de Fratrem eius, contingat, ut baptizatus in nomine Christi vestri, protinus moriatur, sed orante matre, Domino iubente, convaluit.*

*d* Lib. II, 28, ubi commemorat, Clodoveum ex pellice iam tum suscepisse filium, nomine Theodoricum, & filiam, Teudechildem.

*e* Lib. I, 12, & 14.

**§. VI.** Implicabatur tum Clodoveus bello cum Alemannis *a* gravissimo, atque, ut est Martisalea, virtuti eorum roborique propemodum in Vbiis succubisset, exercitu Francorum maxime debilitato, nisi, redintegrata acie, iterum in Alemannos impetum fecisset, eosque ad Tolbiacum *b* prostravisset, vel praesentissimo iutus auxilio Dei immortalis, quem in summo illo discrimine implorabat, amplectendaeque religionis verae votum suscipiebat, *c* id quod etiam postea constanter servavit, sacroque fonte ab Episcopo Rhemorum, Remi-

migio, d tinctus, Christianorum se sa-  
cris addixit. Factum illud esse, per-  
hibent, qvi in calculo temporis subdu-  
cendo sunt occupati, Anno cccxcvi,  
*Marius, Cassiodorus, Petavius, Cointius, Baronius in Annalibus Eccles. &*  
cum eo *Spondanus*, qvi, ad Annum  
ccccxcix Clodovei baptisma refe-  
rendum esse, putant.

<sup>a</sup> Alemannitum temporis eam inhabitabant, Moenum in-  
ter & Rhenum Danubiumqve, flumina, partem terrae,  
quam Clodoveus, post reportatam ab Alemannis victo-  
riam sub suam redegit potestatem. Nihil memorat  
Gregorius Turonensis de Boiorum rege, Boiisque ipfis,  
quos Cointius in Annalibus in proelio Tolbiacensi af-  
fuisse, putat, eandemqve, quam Alemanni, fortunam  
belli esse expertos. Neqve Theodoricus, Ostrogotho-  
rum Rex, Boiorum Regis meminit in Epistola, quam  
ad Clodoveum post adeptam ab Alemannis victo-  
riam dedit, sed duntaxat Alemannorum Regis, *Cassio-  
dor. Lib. II, Epist. 41.* Quamvis non negaverim, Fran-  
corum imperio postea se Boios quoque submisisse, prae-  
fertim, quando Clodovei filium, Theodoricum leges  
Boiis promulgasse legimus, ut Aventinus ipse, vir in  
historiis Boioariorum enarrandis diligentissimus, haec  
commemoravit, *Annalium Lib. III, Boii de corpore suo, ubi  
opus fuerit, Principem legant, at Ducem non Regem appel-  
lent, Reges Francorum auctores fiant. In bellis auxilio sint*

*Francis Boii, eosdem pro amicis & hostibus habeant, ceterum suis institutis ac moribus liberi vivant.*

- b Tulbiacum vocat saepe commemoratus Gregorius Turonensis oppidum in Vbiis situm, cuius meminit etiam Tacitus, appellatque illud Tolbiacum, nonnulli Tulpiacum, de quo Cluverius in German. Antiqv. Lib. II, 17. accensetur hodie Episcopatu Coloniensi, nomine veteri parum per immutato, audit enim, ut plerique annotarunt Geographi nomen, Zulpich, non Zullich, ut existimat Claverius l. c.
- c Illud non melius, quam ex ipsius Gregorii Turonensis, Lib. II, cap. 30, possumus edoceri verbis, quae ita se habent: „Regina non cessabat praedicare, ut Deum verum cognosceret, & idola negligeret, sed nullo modo ad haec credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alemannos commoveretur, in quo compulsus est confiteri necessitate, quod prius voluntate negaverat. Factum est autem, ut, confligente utroque exercitu, vehementer caederentur, atque exercitus Chlodovechi valde ad interuersionem ruere coepit. Quod ille videns, elevatis ad coelum oculis, compunctus corde, commotus in lacrymis ait: „Iesu Christe, quem Chrotildis praedicat esse filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in Te sperantibus tribuere dignaris, tuae opis gloriam devotus efflagito, ut, si mihi victoriam super hos hostes indulseris, & expertus fuero illam virtutem, quam de Te populus tuo nomini dicatus, probasse praedicat, credam Tibi & in nomine tuo baptizer. Invocavimus, nim Deos meos, sed ut experior, elongati sunt ab auxilio meo, unde credo, eos nullius esse potestatis praeditos, quia sibi obedientibus non occurrunt. Tenunc  
invo-

invoco, & Tibi credere defidero, tantum, ut eruar ab<sup>6</sup>  
adverfariis meis. Cumqve haec diceret, Alemanni,<sup>6</sup>  
terga vertentes, in fugam labi coeperunt. Cumqve<sup>6</sup>  
Regem suum cernerent interemptum, Chlotovechi<sup>6</sup>  
se ditionibus subdunt, dicentes: Ne amplius, quae fu-<sup>6</sup>  
mus, pereat populus, iam tui sumus, actum anno XV  
regni sui. Haftenus Gregorius. Neqve hic dissensus  
multorum temere a me est praetereundus, quem inter  
qvosdam observavit Scriptorum Gabriel Daniel, *Histoi-  
re de France Tom. I, p. 28.* Dum quidam affirmant,  
vel ante susceptam expeditionem contra Alemannos  
Clodoveum Crotildi promissum fecisse de suscipienda  
fide Christiana, si scilicet victor domum reverteretur.  
Nonnulli, ab Aurelio submonitum fuisse, ut Crotildis  
Deum imploraret, confirmant, cum constitutum se de-  
prehendisset in extremo fere discrimine & suae, & exer-  
citus salutis. Haec, quandoquidem fidei ac rerum ge-  
starum veritati nihil derogant, parum intererit, cuius  
qvae auctoritatem amplecti malit. Confer. *Hincmarus in  
vita Remigii, Ivo Carnutensis in Chronico, cuius MS tum extat  
in Bibliotheca Anglicana, Sigebertus in Anastasi.*

d Erat Remigius in Rhemis Pontifex, quem, ob vitae san-  
ctimoniam, multitudinemqve miraculorum, mirifice  
extollunt, sigillatim, qui in Ecclesia Romana de vitis san-  
ctorum aliquid sunt commentati, quales sunt, Lau-  
rentius Surius, Petrus Riebadeneira, Pater Ignatianus,  
*in Flore Sanctorum*, ante hos, Sidonius Apollinaris, Remi-  
gio aequalis, *Epist. VII, Lib. IX*, Hincmarus, Pontifex Rhe-  
mensis, cuius opera edidit Parisiis Iacobus Sirmondus.  
Formulam testamenti, qua pauperibus villas & alia, sibi  
a Clodoveo donata, legavit Remigius, ex Hincmaro &  
Nicolai Querculi Flodoardo transtulit Barnabas Brisso-  
nius,

nium in suum librum, quem inscripsit *de Formulis & fontibus populi Ro. verbis Lib. VII, pag. 675. ed. VVeichel*. Explanaciones in Epistolas Pauli, quas Remigio tribuit Io. Baptista Villalpandus, Cordubensis Iesuita, primumque se eas edidisse, purat, anno 1598, ex veteri MS. Romano, dudum publici iuris sunt factae, non quidem sub Remigii, sed Haymonis nomine, Episcopi Halberstadenfis. Integer Haymonis commentarius prodiit in octavo apud Ambrosium Giraud, sub Pellicano, via ad D. Iacobum, sine notatione anni. Iterum anno 1556. Conferatur omnino Andreas Rivetus, in *Critico Sacro Lib. IV, 27*. Hunc Remigium Chrotildis, simul ac certior esset facta de mariti voto, clam iussit arcessi, ut Regem salutari imbueret doctrina, sacroque ablueret fonte, id quod postea quoque feliciter evenit, unde Gregorius: *Clodoveo ingresso ad baptismum, Sanctus Dei hic insit ore facundo, Mitis depone colla Sicamber, adora, quod incendisti, incende, quod adorasti*. Praetereundum hic illud non est, quod meretur annotari, in multis nimirum fidem haud haberi posse Hincmaro, speciatim in fabulosa illa narratione, quam de ampulla, sacro plena oleo, prodit, id quod commenti, quandoquidem prae se fert speciem miraculi cuiusdam, fidem perfacile invenit in Ecclesia Romana, gente ceteroquin avidissima miraculorum. Ut autem eo rectius Lectori hac de re constet, verba Hincmari hic a scribenda esse, duxi, quae sequentem in modum se habent., Cum vere pervenissent ad baptisterium, Clericus, qui chrisma deferebat, a populo est interceptus, ut ad fontem venire nequiverit, sanctificato autem fonte, nutu divino chrisma defuit. Et quia propter populi pressuram, ulli non patebat egressus Ecclesiae vel ingressus, Sanctus Pontifex, oculis ac manibus pro-



protenfis in coelum, coepit tacite orare cum lacrymis. “  
Et ecce, subito columba nive candidior, attulit in roftro “  
ampullulam, chrifmate fancto repletam, cuius odore “  
mirifico fuper omnes odores, qvos ante in baptifterio “  
fenferat omnes, qvi aderant, inaeftimabili fvavitate “  
repleti funt. Accipiente autem fancto Pontifice am- “  
pullulam illam, fpecies columbae difparuit. “ De hac  
teftatur ampulla Iodocus Sincerus *in Itinerario Galliae*,  
& alii, eam noftro qvoqve tempore Rhemis confpici,  
oleumqve fuppeditare inaugu-  
randis ungen-  
disqve  
Galliae Regibus, qvae tamen fo-  
lennia non Rhemis, fed  
alibi, funt celebrata fub aufpicio  
regni Henrici IV, pro-  
pterea, qvod urbs ab hoftibus  
oppreffa teneretur, uti  
ex Thuano & aliis liquet. Ritum  
hunc, qvo in unguentur  
Reges, non ufitatum fuiffe  
temporibus Regum primae  
ftirpis in Francia, confirmat  
celeberrimus Polyhiftor,  
C.S. Schurzfleifchius, *in hiftoria  
Burgundica*, p. 74, qvando-  
qvadem ab fimplicitate & forma  
aetatis, a modestia qvo-  
qve Remigii, longe abhorrere  
videretur, ut adeo tefta-  
mentum, qvod Remigii nomen  
prae fe fert, merito in  
fufpicionem vocetur. Verba,  
qvae apud Gregorium  
Turonenfem de unctio-  
ne Clodovei leguntur, recte  
intelligenda funt, pertinet  
qve unctio illa non ad inau-  
gurationem regiam, fed ad  
actum baptifmi. confer.  
*Lemmata antiquae Fran-  
ciae fupra collaudati Schurz-  
fleifchii*, §. 21. Sed redimus  
ad fabulam Hincmarum, de  
qva, praeter Hincmarum, &  
qvi eum feqvuntur, Flo-  
doardum atqve Aimoinum,  
tribus integris ante feculis  
nihil quisqvam commemoravit,  
ut ita multis dubita-  
tionem afferat filentium  
Gregorii Turonenfis, diligen-  
tiffimi ceteroqvum Scriptoris,  
qvi nihil actorum in con-  
verfione Clodovei facile  
praetermiffit, qvod mirandi  
ratio-

rationem habere possit. Qua re causaque moveor, ut ad sententiam Io. Iacobi Chifletii me adiungam, qui multis commentum illud confutavit argumentis: Neque quisquam, qui gestarum rerum monumenta & veritatem sectatur, temere fidem faciet Hincmaro. Prudenter calculum suspendit Dionys. Petavius & Cointius, locis supra memoratis. Palam superstitionem confessus est Chifletius, in *Libro de Ampulla Rbemensis*, refragante Davide Blondello, viro ceteroquin eruditissimo, quorum alter magis ingenue, iudicio Magni illius Schurzfleischii, alter erudite magis res Francorum pertractavit. Maiori certe animo asserendae superstitionis, quam effectu, nititur contra Chifletium Iacobus Alexander Tennevrius, in quibus autem assensum mereatur, non ignorare possunt illi, qui leviter tantum in huius rei veritate inquirenda sunt versati. Quae de ipso Clodovei baptisinate, tempore, loco, ubi peractum est, apponi non possunt, tum ob temporis, tum pagellarum angustiam, fusius explicata legi possunt in *Annalibus saepius commemorati Cointii, Tomo I Conciliorum Gall. & in Rationar. Tempor. Petavii.*

§. VII. Religionis postea emendandae curam propagandaeque per Franciam suscepit Clodoveus, quippe quod Regis amplectendae veritatis exemplum incitamento erat multis. a Tantum movit Clodovei consilium mutataque religio Francorum  
ani-

animos, ut amplius tria millia e mili-  
tum numero fonte sacro initiarentur  
coetui Christiano. Idem quoque ac-  
cidit sorori Regis, Albofledi, quae  
haud ita multo post mortalitatem ex-  
plevit. Nec minus alteram sororem,  
Lantchildem, *b* Arianorum errori-  
bus deditam, ad recte de Servatore  
sentientium partes perduxit, quor-  
um conferri potest *Gregorius Turonensis*,  
*l. c. Hincmarus Rhemensis*,  
*Flodoardus*, aliique.

*a* Magna his temporibus capiebat incrementa coetus  
Christianorum, id quod Centuriatores Magdeburgici  
ex Augustino aliisque aperte demonstrant, *Centur. V*,  
*c. II*, de Propagatione. Palladius, ad Scotos missus,  
magnam occidentis partem sub Honorii imperio coe-  
tui orthodoxo adiungere coepit.

*b* Praeter Albofledem & Lantchildem alia Clodoveo  
fuit soror, quam sibi matrimonio iunxerat Theodori-  
cus, Italiae Rex, apud *Gregor. Turon. Lib. III. 31.*

§. VIII. Imperabat tum Burgun-  
dionibus superbe ac crudeliter Gun-  
debalus, qui, ambitione amplifi-  
D can-

candiq; regni cupiditate incensus, potentiae instrumenta crudelitate quaerebat, Chilperico & Gondomaro, fratribus, indigne ac crudeliter interfecit. Neque sic metam improbitati ponebat, sanguinemque sitiebat etiam frater Gondegibili fratris, quem adversus saevitiam Gundebaldi suscepit tuendum Clodoveus, improbosque Burgundionis conatus tempestive intervertit. Verendum enim erat Clodoveo, ne, si Gondegillum quoque opprimi pateretur, proximorum imperio Francorum inciperet inhiare Gundebaldus. Tantum itaque & Gondegibili querelae interpellationesque apud Clodoveum valuerunt, uxore *a* praeterea & Aureliano eum instigantibus, ut, hac occasione arrepta, iniuriam Gondegibili & mortem una ulcisceretur Chilperici, cuius filia

lia erat Chrotildis. Haec dum fiunt, vires colligit, atqve adversus Gundebaldum movet, qvem postea, acie victum, una parte regni contentum esse, iussit, altera fratri Gundegisilo relicta, utrosqve certe eo adigit, ut tributum quotannis pendendi acciperent conditionem. *b* Nihil iam dicam de aliis bellis, quorum permulta gessit Clodoveus, quibus potentiam & opes suas firmavit. *c* Leg. *Gregorius Tur. Aimoinus, Dionys. Petavius in Rat. Tempor. C. Coitius in Annal. & qui rem totam confecit, Schurzfleischius noster, in pereleganti Histor. Burgund. Commentario Libro, & in Lemmat. Antiq. Franc.*

<sup>a</sup> Erat Chrotildis, quemadmodum religionis propagandae, ita & ulciscendae mortis paternae, cupidissima, quae satis manifesta sunt & aperta ex Gregorio & Fredegario, ut satis intelligi possit, non modo maritum, sed filios quoque ad bellum, Burgundionibus inferendum, concitatos esse, quod patruus fratris sanguine manus

manus cruentare nihil dubitarat. Neque hoc negandum, Clodoveum, gloriae & imperii cupidum, occasionem belli connubio Chrothildis captasse, quod continuo subodorabatur Gundebaldus, & eventus comprobabat. Idem enim Clodoveo, quod crescentibus potentia & imperio hominibus accidere consuevit, usu veniebat, ut maiora concupiscant, omniumque partes corripere cogitent atque complecti. Turonens. *Lib. II, c. 28, 32*, Ioan. Buffierius in *Hist. Franc.* Accedebat, quod Gundebaldus tanta pertinacia depravatae Arianorum doctrinae adhaereret, qua tamen se expedit filius Gundebaldi, Sigismundus, ope & consilio Aviti, Viennensis postea Antistitis primarii, qui animum eius ad veriore scripturae normam conformavit, ut, renuncianti errore detestando, concilium Eponense indiceret, atque hoc pacto intemeratam revocaret doctrinam, iterumque in regno suo stabiliret. De vero huius concilii anno & epocha constituenda discrepantium sententias Scriptorum, pereleganter evolutas, videre licet in laudata modo *Historia Burgundica, p. 58*. Haud absimili argumentandi ratione nobis colligere licet, eo modo, uti adversus Gothos Arianos, ita adversus Burgundiones, a Remigio extimulatum fuisse Clodoveum, ut potentiam eorum everteret, totaque Gallia eosdem submoveret. Probat consilium de bello adversus Arianos Remigii Epistola, ad Clodoveum data, quae extat apud Sirmundum, in corpore *Concil. Franc.*

b Neque eo magis eam paciscendi conditionem servavit Gundebaldus, sed, digresso Clodoveo, mox Gondegisilum, nec opinantem, circumvenit Viennae, occupataque urbe, interfecit, & eam regni partem, quae in Allobrogibus erat, & nunc Sabaudia appellatur, prae-

praefracte ac magno iniustitiae argumento sui iuris fecit. conf. Marius Aventicens. & Gregor. Turonens.

*c* De bello, quod cum Theodorico, Ostrogothorum in Italia Rege, gessit Clodoveus, videri possunt, Iornandes, Procopius, I *Goth.* Cassiodor. *in epist.* Cyprianus, *in vita Caesaris*, & Marius Aventicensis addantur, quae de aliis habet Gregor. Turonens. *Lib. II, 40, 42.*

§. IX. Compositis itaque ex animo Burgundionum rebus, conflatum est bellum Gothicum, a quod ad interitum usque Alarici, Regis Visigothorum, est gestum, quando eius vires, facto secundiore praelio, non tantum minuit, sed sua ipse manu eum Clodoveus contrucidavit. Victor etiam ex Aquitanis reversus, Turonos bello invasit, ac Lutetiam inde Parisiorum contendit, atque ibi sedem regni Franco-Galliae auspicio felici collocavit. Dum in Turonis commoratur, magnus ipsi honos est habitus ab Anastasio, Imperatore.

D 3

*b Procopius,*

*pius, Gregor. Turon. Lib. II, 38, & 43,  
Ado Viennensis in Chronico.*

• Suscipiebat hoc bellum Clodoveus, frustra id per epistolas dissuadente Theodorico, Rege, ex imprudentiori quodam religionis ardore, quod Arianorum sectae Gothi faverent, ita enim apud Turonens. Lib. II, c. 37, Clodoveus dicit, *Valde moleste fero, quod hi Ariani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & superatis redigamus terram in ditionem nostram. Cum placuisset omnibus hic sermo, exercitu commoto, Pictavis dirigit.* Odium Clodovei erga Gothos sua indignatione foverunt, Chrotildis, Remigius, & omnis Francorum populus, Regemque ad consilia factis coniungenda vehementer impulerunt. Hincmarus, *in vita Remigii, Fauchet, Antiq. Franc. Lib. II, 24.* Quae causa belli, quamvis speciem prae se ferat non impiam, nostro tamen assensu minime potest probari, propterea, quod diversus religionis cultus alteri nequaquam ius faciat alterum bello adoriendi. Cessit Clodoveo haec temeritas feliciter, & post memorabilem Vocladensem victoriam, traiectis, Ligeri & Rhodano, fluminibus, Tolosam cepit, urbem Gothicae Galliae praecipuam, opibus tum temporis & potentia valentem, a qua & ipsum regnum acceperat nomen. *Epitom. Franc. c. 17, Pezav. ad A. 507.*

• *Quis ille fuerit honos, indicant verba Gregorii, Ab Anastasio Imperatore codicillos de consulatu accepit, & in Basilica beati Martini tunica blattea indutus est, & chlamyde, imponens vertici diadema. Et, paucis interiectis, pergit, ab ea die, tanquam Consul aut Augustus est vocitatus. Lib. II, 38.* Quod nomen Augusti, ab Anastasio concessum Clodo-



Clodoveo, dignitate utrosque minime aequat, aut de Augusto imperio summaque Imperatoris potestate intelligendum est, quemadmodum Cointius inter varias dissidentium interpretum sententias exponit, *Annal. Tom. I, ad A. 508, n. 36*, cui assentitur Antonius Pagi-  
gius, in *Dissertat. bypat. part. I, 8*. Consulatus enim ille, per codicillos collatus, qui & *codicillaris* vocatur, Clodoveo conciliabat decus summum & in urbe Roma splendidissimum, seiunctum tamen diversumque ab Augusta & Imperatoria dignitate, quod ex praescriptione Clodovei liquido apparet, qua usus est, & in qua se non Imperatorem Augustum, sed duntaxat Regem, appellat, id quod, Cointium esse vehementer lapsum, indicat, quippe qui ab concessio consulatu Imperatoris annos dinumerare conatur. Quam controversiam ex monumentis antiquis accuratissime confecit idem ille Polyhistor, qui ad eam decidendam erat aptissimus, C. S. Schurzfleischius, in *Disputatione de Titulo Augusti*. De observantia & pietate Clodovei, qua fuit in Pontifices, indigne nonnihil loquitur Baronius, *ad A. 514, n. 2*. Id quidem certum exploratumque habemus, misisse Regem auream coronam Hormisdæ, Pontifici recens constituto. At vero non subiectionis, sed reverentiae indicium fuit, neque regni coronam, sed ab Anastasio donatam, Clodoveum misisse, existimat Fauchet, *Lib. II, c. 22*. Qui cultus sine dubio titulum Christianissimi dedit, posterisque occasionem praebeuit sacri patrocinii, quod *Advocatia* vulgo appellatur, occupandi. Pondus antea dictis addit Meibomii dissertatio *de iure Investiturae Episcopali, Imperatoribus Rom. a Pontificibus per vim adempto*, quae reperitur Tomo III *Rerum Germanicarum*, multis ubi probat Meibomius, a Mervvingicis in Gallia Regi-

Regibus Episcopatus per multos annos concedi solitos, sola manu impositione & presbyterorum ordinatione ceteris relictis. De eodem iure multa disputavit Petrus Marca, in *Libro de Concordia Sacerdotii & Imperii*, Franciscus Florens, de *usu & auctoritate Pallii*, Caspar Zieglerus, de *Episcopis*, & alii per plures. Nimis audacter, mea quidem opinione, pro certo affirmat Baronius, eiusque Epitomaestes, Spondanus, respuisse Clodoveum honores, ab Anastasio tributos, quod Anastasius haereticus fuerit, & in fastis COSS. RR. Clodovei nomen non inveniatur, quod inde factum esse, puto, quoniam honor ille extra urbem Romam Clodoveo conferebatur. Ad extremum & illud commemorare nobis libet, quod ex antiquis primae stirpis Francorum Regum diplomatibus constat, Clodoveum M. titulo in numero multitudinis usum, in primis autem ab initio diplomatum & Epistolarum hunc servasse morem. Quorsum conferrari possunt, Dacherius in *Spicilegio*, & Mabillonius, Lib. II, c. 6, de *re diplomatica*.

§. X. Auxerunt vel maxime gloriam Clodovei merita, quae in Rempublicam pariter, ac religionem, extant, quando populi mores legibus *a* institutisque prudenter temperabat, &, dato publice scripto, convocatoque saepius *b* concilio, incrementa veritatis divinae promovebat, foda-


fodalitatesqve religiosas egrēgiis locupletabat beneficiis, & alias immunitates largiebatur, c qua sane re egregium optimi Regis documentum dedit, posterisque profuit exemplo. Decessit tandem Parisiis illustris ille heros, ut ipse se vocare confecerat, cuius tantum non omnis vita in ferro fuit, annos natus quinque & quadraginta, post Servatorem natum, ut Petavius calculum ponit,  
**DXI. d**

<sup>a</sup> Vsum in primis conservavit Legum Salicarum, quas Philippi Longi tempore, seculo duodecimo demum, promulgatas esse, falso putavit Haillanus, ob eamque rem a Gabriele Daniele multis est argumentis confutatus; *Dissertation de l'Antiquite & de l'Instituteur de la Loy Salique*. Deserimus autem & ipsi opinionem Danielis, qui institutionem earum legum Clodoveo tribuit, non alia inductus ratione, quam, quod Pharamundus, ad cuius tempora vulgo promulgatio refertur, non regnaverit cis Rhenum, flumen, de quo supra pluribus est tractatum. Quam in rem legi possunt, Wendelinus, *de Leg. Salic.* Nauclerus, *in Chronol. Conringius, de Origine turis Germanici, cap. 7.* Cocceius *in Iur. Publ. cap. III, & alibi.*

E

l vid.

- b vid. *Tom. I Concil. Gall.* per Iacob. Sirmondum edit. speci-  
ciatim de Concilio Aurelianensi.
- c. De his praeter Gregorium Hincmarus, in *vita Remigii*,  
Baronius & Cointius, in *Annal. Eccles.* Bollandus, cu-  
ius haec verba sunt: „Rex multas a fundamentis con-  
struxit Ecclesias, dirutasque restauravit, & monaste-  
ria quaedam decentissime fabricavit, pauperes quo-  
que abundantissime sustentans &c.
- d Alucinatur Baronius, ut solet, in Chronologia, quod  
in multis recte observavit Casaubonus & Pagius, quan-  
do mortem Clodovei ad annum, post aeternum salutis  
sponsorem natum, refert D X I V. Sepultus est Clodo-  
veus, prout annotavit Gregorius *Lib. II, 37*, in Ba-  
siliica Sanctorum Apostolorum, quam cum Chrotilde  
Regina sibi extruxerat. *Aimoin. l. 23*. Post Regis ex-  
cessum facta est memorabilis illa & solennis divisio in-  
ter quatuor Clodovei filios, quos inter Theobertus e-  
rat, ex concubina susceptus. Quae cuique pars obtigerit  
in illa divisione, videri potest apud Fredegarium, Gre-  
gorium Tironensem, Agathiam Scholasticum, confe-  
rendos cum supra laudato, sed nunquam satis laudan-  
do, C. S. Schurzfleischio, in *Disputat. de Regno Austrasiae*.  
Addatur Hadr. Valesius, *Rerum Gall. Lib. VII*, Rorico, de  
*de Reb. Franc. Lib. IV*, qui Rhemos & Cameracum dun-  
taxat Theodorico assignat, quod ita quidam interpre-  
tantur, metropoles modo ab Roricone comme-  
morari. Nos quidem, aliis sepositis, in prae-  
sens finimus.



CLARISSIMO ERVDITISSIMOQ.  
RESPONDENTI SVO  
PRAESES.

**P**Arum officio suo satisfaciunt,  
qui otio se dedunt, aut alio  
turpissimo vitae genere dele-  
ctantur. Non enim hic desidia  
domicilium est, sed artium litera-  
rumqve palaestra. In ea Tu iam  
es constitutus, Honoratissime  
Commilito, honestum ingres-  
sus certamen, ex quo Te vin-  
centem non aliud manet prae-  
mium, quam summa virtutis laus  
atqve decus. Neqve dubito,  
quin illud sis impetraturus, cum  
omnem mihi dubitationem adi-  
mat

mat probitas tuae indolis, tuique  
animi vigor, quem aliorum ex-  
cudit industria & exemplum.  
Quanta igitur potes, animi vi-  
riumque contentione eo annita-  
ris, velim, ut nunquam deflectas  
a laudatissimo itinere, quod ire  
dudum instituisti. Ea sane re &  
spei satisfacies, & expectationi,  
qua sustines parentes tuos pari-  
ter, atque amicos, Tuaeque et-  
iam ipsius naturae bonitati. Ne-  
que honores olim, crede, Tibi  
deerunt, qui solent doctrinam co-  
mitari virtutesque, iidem ut vo-  
to Tuo respondeant, vehemen-  
ter Tibi opto ac precor.

QK  
Tn  
623

3671

X 2374723

me







449

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC  
DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE REGIO AC ELECT. SAXON. HEREDE,  
DE  
CLODOVEO M. PRIMO  
INTER FRANCOS REGE  
CHRISTIANO,  
LOCVM,  
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
BENEVOLE SIBI CONCESSVM,  
VINDICATVRVS,  
DISSERERE INSTITVIT,  
M. PETRVS IAENICHIVS,  
FVRSTENBERGENSIS LVSATVS,  
COMMILITONE  
IOANNE ADAMO CALO,  
BELGERANO MISNICO,  
AD D. VILLMII ANNO MDCCLIII.  
IN AVDITORIO MAIORI.

VITEMBERGAE,  
LITERIS JOANNIS GOTHOFREDI MEYERI.

